

Readings on Elephants
for the Advanced Latin class
MALS Summer Week 2026

Trevor Evans FAHA

Contents

Ancient texts

Pliny the Elder, *Naturalis historia* VIII 1–3, 5–11

Livy, *Ab urbe condita libri XXI* 27–8, XLIV 3–5

Bellum Africum 69–73, 79–86

Medieval texts

Matthew Paris, *Chronica Majora* V f. 171 (Rolls edn pp. 488–9)

Gascon rolls entry

Pipe Roll entries (from sections showing sheriffs' expenditure)

Extracts 1 and 2, Pliny the Elder

Gaius Plinius Secundus (Pliny the Elder) was born at Novum Comum in Gallia Cisalpina in 23/24 CE. Of equestrian rank he lived an energetic life in public service and scholarship. He saw military service in Germany under the patronage of Pomponius Secundus, including commanding a cavalry squadron, before returning to Italy to pursue rhetorical and grammatical studies, practised law in the reign of Nero, then through the favour of the Flavians rose to hold a series of procuratorships. When Vesuvius erupted on 24 August 79, Pliny led a rescue party to the disaster-area. This turned out to be a fatal choice. He died on 25 August from inhaling fumes.

According to his nephew (Pliny the Younger) Pliny the Elder wrote works (of which some fragments have been preserved) on biographical, grammatical, oratorical, and historical themes, and on javelin-throwing from horseback, but his only output surviving complete is his encyclopedic *Naturalis historia* in 37 books. The following extracts are drawn from the beginning of Book VIII and pertain to elephants, our theme this week.

Naturalis historia VIII 1–3

1. Ad reliqua transeamus animalia et primum terrestria.

Maximum est elephans proximumque humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrii et imperiorum obedientia, officiorum quae didicere memoria, amoris et gloriae uoluptas, immo uero quae etiam in homine rara, probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum solisque ac lunae ueneratio. auctores sunt in Mauretaniae saltibus ad quendam amnem, cui nomen est Amilonitescens luna noua greges eorum descendere ibique se purificantes sollempniter aqua circumspergi atque ita salutato sidere in siluas reuerti uitulorum fatigatos prae se ferentes. alienae quoque religionis intellectu creduntur maria transitori non ante naues conscendere quam inuitati rectoris iureiurando de reditu. uisque sunt fessi aegritudine (quando et illas moles infestant morbi) herbas supini in caelum iacentes, ueluti tellure precibus allegata. nam quod ad docilitatem attinet regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Indis arant minores, quos appellant nothos.

2. Romae iuncti primum subiere currum Pompei Magni Africano triumpho, quod prius India uicta triumphante Libero patre memoratur. Procilius negat potuisse Pompei triumpho iunctos egredi porta. Germanici Caesaris munere gladiatorio quosdam etiam inconditos meatus edidere saltantium modo. uulgare erat per auras arma iacere non auferentibus uentis atque inter se gladiatorios congressus edere aut lasciuienti pyrriche concludere. postea et per funes incessere, lecticis etiam ferentes quaterni singulos puerperas imitantes, plenisque homine tricliniis accubitus iere per lectos ita libratis uestigiis, ne quis potantium attingeretur. 3. Certum est unum tardioris ingenii in accipiendis quae tradebantur saepius castigatum uerberibus eadem illa meditantem noctu repertum. mirum et aduersis quidem funibus subire, sed maxime regredi, utique

pronis. Mucianus III consul auctor est aliquem ex his et litterarum ductus Graecarum didicisse solitumque perscribere eius linguae uerbis: 'Ipse ego haec scripsi et spolia Celtica dicaui,' itemque se uidente Puteolis, cum aduecti e naue egredi cogerentur, territos spatio pontis procul a continente porrecti, ut sese longinquitatis aestimatione fallerent, auersos retrorsus isse.

Naturalis historia VIII 5–11

5. ... Elephanti gregatim semper ingrediuntur; ducit agmen maximus natu, cogit aetate proximus. annem transituri minimos praemittunt, ne maiorum ingressu atterente alueum crescat gurgitis altitudo. Antipater auctor est duos Antiocho regi in bellicis usibus celebres etiam cognominibus fuisse; etenim nouere ea. certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit, elephantum qui fortissime proeliatu esset in Punica acie, Syrum tradidit uocatum altero dente mutilato. Antiocho uadum fluminis experienti renuit Ajax, alioqui dux agminis semper; tum pronuntiatum eius fore principatum qui transisset, ausumque Patroclum ob id phaleris argenteis, quo maxime gaudent, et reliquo omni primatu donauit. ille qui notabatur inedia mortem ignominiae praetulit; mirus namque pudor est, uictusque uocem fugit uictoris, terram ac uerbenas porrigit. pudore numquam nisi in abdito coeunt, mas quinquennis, femina decennis; initur autem biennio quinis, ut ferunt, cuiusque anni diebus, nec amplius, sexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen. nec adulteria nouere, nullaue propter feminas inter se proelia ceteris animalibus pernicialia, nec quia desit illis amoris uis, namque traditur unus amasse quandam in Aegypto corollas uendentem ac (ne quis uulgariter electam putet) mire gratam Aristophani celeberrimo in arte grammatica, alius Menandrum Syracusanum incipientis iuuentae in exercitu Ptolomaei, desiderium eius, quotiens non uideret, inedia testatus. et unguentariam quandam dilectam Iuba tradit. omnium amoris fuere argumenta gaudium ad conspectum blanditiaeque inconditae, stipesque quas populus dedisset seruatae et in sinum effusae. nec mirum esse amorem quibus sit memoria. idem namque tradit agnitum in senecta multos post annos qui rector in iuuenta fuisset; idem diuinationem quandam iustitiae, cum Bocchus rex triginta elephantis totidem, in quos saeuire instituerat stipitibus adligatos obiecisset, procurantibus inter eos qui lacesserent, nec potuisse effici ut crudelitatis alienae ministerio fungerentur.

6. Elephantos Italia primum uidit Pyrri regis bello et boues Lucas appellauit in Lucanis uisos anno urbis CCCCLXXII, Roma autem in triumpho V annis ad superiorem numerum additis, eadem plurimos anno DII uictoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. CXLII fuere aut, ut quidam, CXL, trauecti ratibus quas doliorum consertis ordinibus inposuerat. Verrius eos pugnasse in circo interfectosque iaculis tradit, paenuria consilii, quoniam neque ali placuisset neque donari regibus; L. Piso inductos dumtaxat in circum atque, ut

contemptus eorum increaseret, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos. nec quid deinde iis factum sit auctores explicant qui non putant interfectos.

7. Clara est unius e Romanis dimicatio aduersus elephantum, cum Hannibal captiuos nostros dimicare inter sese coegisset. namque unum qui supererat obiecit elephanto, et ille, dimitti pactus, si interemisset, solus in harena congressus magno Poenorum dolore confecit. Hannibal, cum famam eius dimicationis contemptum adlaturam beluis intellexeret, equites misit qui abeuntem interficerent. proboscidem eorum facillime amputari Pyrrhi proeliorum experimentis patuit. Romae pugnasse Fenestella tradit primum omnium in circo Claudii Pulchri aedilitate curuli M. Antonio A. Postumio coss. anno urbis DCLV, item post annos uiginti Lucullorum aedilitate curuli aduersus tauros. Pompei quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, uiginti pugnaere in circo aut, ut quidam tradunt, XVII, Gaetulis ex aduerso iaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus confossis repsit genibus in cateruas, abrepta scuta iaciens in sublime, quae decidentia uoluptati spectantibus erant in orbem circumacta, uelut arte, non furore beluae, iacerentur. magnum et in altero miraculum fuit uno ictu occiso; pilum autem sub oculo adactum in uitalia capitis uenerat. uniuersi eruptionem temptauere, non sine uexatione populi, circumdatis claustris ferreis. qua de causa Caesar dictator postea simile spectaculum editurus euripis harenam circumdedit, quos Nero princeps sustulit equiti loca addens. sed Pompeiani missa fugae spe misericordiam uulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicauere quadam sese lamentatione conplorantes, tanto populi dolore ut oblitus imperatoris ac munificentiae honori suo exquisitae flens uniuersus consurgeret dirasque Pompeio quas ille mox luit inprecaretur. pugnaere et Caesari dictatori tertio consulatu eius uiginti contra pedites D, iterumque totidem turrati cum sexagenis propugnatoribus, eodem quo priore numero peditum et pari equitum ex aduerso dimicante, postea singuli principibus Claudio et Neroni in consummatione gladiatorum.

Ipsius animalis tanta narratur clementia contra minus ualidos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoueat, ne quod obterat inprudens. nec nisi laccessiti nocent, idque cum gregatim semper ambulent, minime ex omnibus soliuagi. equitatu circumuenti infirmos aut fessos uulneratosue in medium agmen recipiunt, aciei uelut imperio aut ratione per uices subeunte.

Capti celerrime mitificantur hordei suco. 8. capiuntur autem in India unum ex domitis agente rectore, qui deprehensum solitarium abactumue a grege uerberet ferum: quo fatigato transcendit in eum nec secus ac priorem regit. Africa foueis capit, in quas deerrante aliquo protinus ceteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres construunt, omnique VI conantur extrahere. ante domitandi gratia reges equitatu cogeant in conuallem manu factam et longo tractu fallacem, cuius inclusos ripis fossisque fame domabant: argumentum erat ramus

homine porrigente clementer acceptus. nunc dentium causa pedes eorum iaculantur alioqui mollissimos. Trogodytae contermini Aethiopiae, qui hoc solo uenatu aluntur, propinquas itineri eorum conscendunt arbores, inde totius agminis nouissimum speculati extremas in clunes desiliunt; laeva adprehenditur cauda, pedes stipantur in sinistro femine; ita pendens alterum poplitem dextra caedit ac praeacuta bipenni, hoc crure tardato profugienti alterius poplitis neruos ferit, cuncta praeceleri pernicitate peragens. alii tutiore genere sed magis fallaci ingentes arcus intentos defigunt humi longius; hos praecipui uiribus iuuenes continent, alii conixi pari conatu tendunt ac praetereuntibus sagittarum uice uenabula infigunt, mox sanguinis uestigia secuntur.

9. Elephantorum generis feminae multo pauidiores. domantur autem rabidi fame et uerberibus, elephantis aliis admotis qui tumultuantem catenis coerceant. et alias circa coitus maxime efferantur et stabula Indorum dentibus sternunt. quapropter arcent eos coitu feminarumque pecuaria separant, quae haut alio modo quam armentorum habent. domiti militant et turres armatorum in dorsis ferunt, magna ex parte orientis bella conficiunt: prosternunt acies, proterunt armatos. iidem minimo suis stridore terrentur; uulneratique et territi retro semper cedunt haut minore partium suarum pernicie. Indicum Africi pauent nec contueri audent, nam et maior Indicis magnitudo est.

10. Decem annis gestare in utero uulgus existimat, Aristoteles biennio, nec amplius quam [semel gignere pluresque quam] singulos, uiuere ducentis annis et quosdam CCC. iuuenta eorum a sexagesimo incipit. gaudent annibus maxime et circa fluuios uagantur, cum alioquin nare propter magnitudinem corporis non possint, iidem frigoris inpatientes; maximum hoc malum, inflationemque et profluuium alui nec alia morborum genera sentiunt. olei potu tela quae corpori eorum inhaereant decidere inuenio, a sudore autem facilius adhaerescere. et terram edisse iis tabificum est, nisi saepius mandant; deuorant autem et lapides, truncos quidem gratissimo in cibatu habent, palmas excelsiores fronte prosternunt atque ita iacentium absumunt fructum. mandunt ore, spirant et bibunt odoranturque haut inproprie appellata manu. animalium maxime odere murem, et si pabulum in praesepio positum attingi ab eo uidere fastidiunt. cruciatum in potu maximum sentiunt hausta hirudine (quam sanguisugam uulgo coepisse appellari aduerto): haec ubi in ipso animae canali se fixit, intolerando adficit dolore.

Durissimum dorso tergus, uentri molle, saetarum nullum tegimentum, ne in cauda quidem praesidium abigendo taedio muscarum—namque id et tanta uastitas sentit—sed cancellata cutis, et inuitans id genus animalium odore; ergo cum extentis recepere examina, artatis in rugas repente cancellis comprehensas enecant, hoc iis pro cauda, iuba, uillo est.

Dentibus ingens pretium et deorum simulacris lautissima ex his materia. inuenit luxuria commendationem et aliam expetiti in callo manus saporis haud alia de

causa, credo, quam quia ipsum ebur sibi mandere uidetur. magnitudo dentium uidetur quidem in templis praecipua, sed tamen in extremis Africae, qua confinis Aethiopiae est, postium uicem in domiciliis praebere, saepesque in his et pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri Polybius tradidit auctore Gulusa regulo.

11. Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauretania, ferunt Aethiopes et Trogodytae, ut dictum est, sed maximos India bellantesque cum his perpetua discordia dracones tantae magnitudinis et ipsos ut circumplexu facili ambient nexuque nodi praestringant. conmoritur ea dimicatio, uictusque conruens complexum elidit pondere.

Extracts 3 and 4, Livy

Titus Livius (Livy) wrote a colossal history of Rome, the *Ab urbe condita libri* ('Books from the Foundation of the City') which has had a powerful influence on modern responses to that culture and also represents a key example of Roman historiography and historiographic style. We know little about Livy's life. He was born in 59 BCE in Patavium (modern Padua) in northern Italy, spent time in Rome, and died in his home town in 17 CE (Syme has argued for life dates of 64 BCE–12 CE). An epitaph from Padua (*ILS* 2919) recording a T. Livius with a wife Cassia Prima and two sons may be the historian. We know Livy had at least one son and a daughter.

The *Ab urbe condita libri* is a work of vast scope, narrating the history of Rome and the Roman people from the traditional date of the foundation of their city in 753 BCE until 9 BCE (death of Drusus), originally in 142 books (perhaps 150 were planned). Of these books only 1–10 and 21–45 have been preserved (and 41 and 43–5 have lacunae), but we have some fragments of other books. In addition, there are summaries (*Periochae*; perhaps composed in the fourth century CE) of all the books except 136 and 137, and a third-century CE papyrus from Oxyrhynchus contains epitomes of 37–40 and 48–55. Books 1–5 cover the period from the foundation of Rome until its sack by the Gauls in 386 BCE, 6–10 the Samnite Wars, 21–30 the Second Carthaginian War (until 201 BCE), and 31–45 events down to the end of the war with the Macedonian King Perseus (167 BCE). Livy also wrote philosophical dialogues in his youth, but no traces of these survive.

Importantly for the present purpose, Livy writes about elephants. Our two extracts deal with the logistical problems of moving war elephants around the place. In the first (XXI 27–8), an episode from the Second Carthaginian War, we find Hannibal trying to get 37 of them over the Rhône river in 218 BCE. In the second (XLIV 3–5), an episode from the Third Macedonian War, the Roman consul Q. Marcius Philippus is trying to lead at least 34 of them down a pass in the Greek mountains to reach the Macedonian coast in 169 BCE.

Ab urbe condita libri XXI 27–8

27. Iamque omnibus satis comparatis ad traiciendum terrebant ex aduerso hostes omnem ripam equites uirique obtinentes. quos ut auerteret, Hannonem Bomilcaris filium uigilia prima noctis cum parte copiarum, maxime Hispanis, aduerso flumine ire iter unius diei iubet, et ubi primum possit, quam occultissime traiecto amni, circumducere agmen, ut, cum opus facto sit, adoriatur ab tergo hostes. ad id dati duces Galli edocent inde milia quinque et uiginti ferme supra paruae insulae circumfusum amnem latiore, ubi diuidebatur, eoque minus alto alueo transitum ostendere. ibi raptim caesa materia ratesque fabricatae in quibus equi uirique et alia onera traicerentur. Hispani sine ulla mole in utres uestimentis coniectis ipsi caetris superpositis incubantes flumen tranauere. et alius exercitus ratibus iunctis traiectus, castris prope flumen positus, nocturno itinere atque operis labore fessus quiete unius diei reficitur, intento duce ad consilium opportune exsequendum. postero die profecti ex loco edito fumo significant transisse et haud procul abesse. quod ubi accepit Hannibal, ne tempori deesset, dat signum ad traiciendum. iam paratas

aptatasque habebat pedes lintres, eques fere propter equos naues. Nauium agmen ad excipiendum aduersi impetum fluminis parte superiore transmittens tranquillitatem infra traicientibus lintribus praebebat. equorum pars magna nantes loris a puppibus trahebantur, praeter eos quos instratos frenatosque ut extemplo egresso in ripam equiti usui essent imposuerant in naues.

28. Galli occursant in ripa cum uariis ululatus cantuque moris sui quatientes scuta super capita uibrantesque dextris tela, quamquam ex aduerso terreat tanta uis nauium cum ingenti sono fluminis et clamore uario nautarum, militum, et qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, et qui ex altera ripa traicientes suos hortabantur. iam satis pauentes aduerso tumultu terribilior ab tergo adortus clamor castris ab Hannone captis. mox et ipse aderat, ancepsque terror circumstabat et e nauibus tanta ui armatorum in terram euadente et ab tergo improuisa premente acie. Galli postquam utroque uim facere conati pellebantur, qua patere uisum maxime iter perrumpunt trepidique in uicos passim suos diffugiunt. Hannibal ceteris copiis per otium traiectis spernens iam Gallicos tumultus castra locat.

Elephantorum traiciendorum uaria consilia fuisse credo, certe uariat memoria actae rei. quidam congregatis ad ripam elephantis tradunt ferocissimum ex iis iritatum ab rectore suo, cum refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem, ut quemque timentem altitudinem destitueret uadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. ceterum magis constat ratibus traiectis; id ut tutius consilium ante rem foret, ita acta re ad fidem pronius est. ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam a terra in ansem porrexerunt, quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus ualidis retinaculis parte superiore ripae religatam pontis in modum humo iniecta constrauerunt ut beluae audacter uelut per solum ingrederentur. altera ratis aequae lata, longa pedes centum, ad traiciendum flumen apta, huic copulata est; tum elephantis per stabilem ratem tamquam uiam praegredientibus feminis acti; ubi in minorem applicatam transgressi sunt, extemplo resolutis quibus leuiter adnexa erat uinculis, ab actuariis aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur. ita primis expositis alii deinde repetiti ac traiecti sunt. nihil sane trepidabant, donec continenti uelut ponte agerentur; primus erat pauor cum soluta ab ceteris rate in altum raperentur. ibi urgentes inter se cedentibus extremis ab aqua trepidationis aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circumspectantibus aquam fecisset. excidere etiam saeuientes quidam in flumen; sed pondere ipso stabiles deiectis rectoribus quaerendis pedetemptim uadis in terram euasere.

Ab urbe condita libri XLIV 3–5

3. Interim consuli sententia stetit eo saltu ducere, ubi propter Ottolobum dux regius castra habebat. praemitti tamen quattuor milia armatorum ad loca opportuna praeoccupanda placuit, quibus praepositi sunt M. Claudius, Q. Marcius consulis filius. confestim et uniuersae copiae sequebantur. ceterum

adeo ardua et aspera et confragosa fuit uia, ut praemissi expediti biduo quindecim milium passuum aegre itinere confecto castra posuerint. Dierum, quem cepere, locum appellant. inde postero die septem milia progressi, tumulo haud procul hostium castris capto, nuntium ad consulem remittunt peruentum ad hostem esse; loco se tuto et ad omnia opportuno consedissee; quantum extendere iter posset, consequeretur. sollicito consuli et propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, et eorum uicem, quos paucos inter media praesidia hostium praemiserat, nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. addita igitur et ipsi fiducia est, coniunctisque copiis castra tumulo, qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. non hostium modo castra, quae paulo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium et Philam oraue maris late patente ex tam alto iugo prospectu oculis subicitur. quae res accendit militi animos, postquam summam belli ac regias omnis copias terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. itaque cum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur, dies unus fessis labore uiae ad quietem datus est. tertio die parte copiarum ad praesidium castrorum relicta consul ad hostem ducit.

4. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat; qui ex quo castra Romana in tumulo conspexit, praeparatis ad certamen animis suorum uenienti agmini consulis obuius fuit. et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes leuis armatura erat, promptissimum genus ad lacesendum certamen. congressi igitur extemplo tela coniecerunt; multa utrimque uolnera temerario incursu et accepta et inlata; pauci utriusque partis ceciderunt. iniritatis in posterum diem animis maioribus copiis atque infestius concursus est; decreuissentque de summa belli, si loci satis ad explicandam aciem fuisset; sed iugum montis in angustum dorsum cuneatum uix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. itaque paucis pugnantibus cetera multitudo praecipue qui grauium armorum erant, spectatores pugnae stabant; leuis armatura etiam per anfractus iugi procurrare et ab lateribus cum leui armatura conserere per iniqua atque aequa loca pugnam poterat. pluribus ea die uolneratis quam interfectis proelium nocte diremptum est.

Tertio die egere consilio Romanus imperator; nam neque manere in iugo inopi neque regredi sine flagitio atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat; nec aliud restabat quam audacter commissum pertinaci audacia, quae prudens interdum in exitu est, corrigere. uentum quidem erat eo ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. sed cum ad Dium per litora cum equitibus uagaretur rex et ab duodecim milibus prope clamorem et strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias integros fessis summittendo neque ipse, quod plurimum intererat, certamini adfuit, cum Romanus imperator, maior sexaginta annis et praegrauis corpore, omnia militaria munera ipse impigre obiret. egregie ad ultimum in audaciter commisso perseuerauit et Popilio relicto in custodia iugi per inuia transgressurus praemissis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem cum suae

gentis utrumque auxiliaribus praesidio esse saltum aperientibus iubet; ipse equites impedimentaue prae se habens cum legionibus agmen cogit.

5. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarumque. progressis uixdum quattuor milia passuum nihil optabilius esse quam redire, qua uenerant, si possent. hostilem prope tumultum agmini elephanti praebebant, qui, ubi ad inuia uenerant, deiectis rectoribus cum horrendo stridore pauorem ingentem, equis maxime, incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. per procliue sumpto fastigio longi duo ualidi asses ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paulo plus quam quanta beluae latitudo est; in eos transuerso incumbente tigno asses tricenos longi pedes, ut pons esset, iniungebantur humusque insuper iniciebatur. modico deinde infra interuallo similis alter pons, dein tertius et plures ex ordine, qua rupes abscisae erant, fiebant. solido procedebat elephantus in pontem; cuius priusquam in extremum procederet, succisis assibus conlapsus pons usque ad alterius initium pontis prolabi eum leniter cogeat. alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes prolabebantur. ubi planities altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad aequiorem uallem peruentum est.

Paulo plus septem milia eo die Romani processerunt; minimum pedibus itineris confectum. plerumque prouolentes se simul cum armis aliisque oneribus cum omni genere uexationis processerunt, adeo ut ne dux quidem et auctor itineris infitiaretur parua manu deleri omnem exercitum potuisse. nocte ad modicam planitiem peruenerunt; nec quam infestus is locus esset saeptus undique circumspiciendi spatium fuit uix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nantis locum. postero quoque die in tam caua ualle opperiri Popilium ac relictas cum eo copias necesse fuit; quos et ipsos, cum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter uexauit. tertio die coniunctis copiis eunt per saltum, quem incolae Callipeucen appellant. quarto inde die per aequae inuia, sed adsuetudine peritius et meliore cum spe, quod nec hostis usquam apparebat et mari adpropinquabant, degressi in campos inter Heracleum et Libethrum posuerunt castra quorum pars maior tumulos tenebat. ibi pedes tendebat. uallo campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur.

Extracts 5 and 6, *Bellum Africum*

The *Bellum Africum* is a composition by an unknown author preserved in the Caesarian corpus. The question of authorship was already uncertain in antiquity and is now probably beyond resolution. The work is an example of a literary *commentarius*, a memoir of Julius Caesar's war of 47–46 BCE against his republican enemies in Africa. Our passages describe the crucial fighting outside Thapsus in 46, in which elephants were involved.

The language and style of the *Bellum Africum* have been derided in the past, but a recent study by James Adams ('The *Bellum Africum*', in T. Reinhardt, M. Lapidge, and J. N. Adams (eds.), *Aspects of the Language of Latin Prose* (Oxford: Oxford University Press for the British Academy, 2005), 73–96) offers a more sympathetic evaluation. Adams characterises the work as marked by stylistic diversity. Notable features are its archaisms, colloquialisms, and poeticisms.

Bellum Africum 69–73

69. Cum iam non longe a castris Scipionis abesset, quae eum necesse erat praetergredi, Labienus Afraniusque cum omni equitatu leuique armatura ex insidiis adorti agmini eius extremo se offerunt atque ex collibus primis existunt. Quod postquam Caesar animum aduertit, equitibus suis hostium ui oppositis sarcinas legionarios in aceruum iubet comportare atque celeriter signa hostibus inferre. Quod postquam coeptum est fieri, primo impetu legionum equitatus et leuis armatura hostium nullo negotio loco pulsa et deiecta est de colle. Cum iam Caesar existimasset hostis pulsos deterritosque finem lacessendi facturos et iter coeptum pergere coepisset, iterum celeriter ex proximis collibus erumpunt atque eadem ratione qua ante dixi in Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae leuisque armatura mirabili uelocitate praediti, qui inter equites pugnabant et una pariterque cum equitibus accurrere et refugere consueuerant. Cum hoc saepius facerent et proficiscentis Iulianos insequerentur, refugerent instantis, propius non accederent et singulari genere pugnae uterentur equosque iaculis conuulnerare satis esse existimarent, Caesar intellexit nihil aliud eos conari nisi ut se cogerent castra eo loco ponere ubi omnino aquae nihil esset, ut exercitus ieunus, qui a quarta uigilia usque ad horam X. diei nihil gustasset, ac iumenta siti perirent.

70. Cum iam ad solis occasum esset, et non totos C passus in horis III esset progressus, equitatu suo propter equorum interitum extremo agmine remoto legiones in uicem ad extremum agmen euocabat. Ita uim hostium placide leniterque procedens per legionarium militem commodius sustinebat. Interim equitum Numidarum copiae dextra sinistraque per collis praecurrere coronaeque in modum cingere multitudine sua Caesaris copias, pars agmen extremum insequi. Caesaris interim non amplius III aut IIII milites ueterani si se conuertissent et pila uiribus contorta in Numidas infestos coniecissent, amplius duum milium numero ad unum terga uertebant ac rursus ad aciem passim conuersis equis se colligebant atque in spatio conueiebantur et iacula in legionarios coiciebant. Ita

Caesar modo procedendo modo resistendo tardius itinere confecto noctis hora prima omnis suos ad unum in castra incolumis sauciis X factis reduxit. Labienus circiter CCC amissis, multis uulneratis ac defessis instando omnibus ad suos se recepit. Scipio interim legiones productas cum elephantis, quos ante castra in acie terroris gratia in conspectu Caesaris collocauerat, reducit in castra.

71. Caesar contra eiusmodi hostium genera copias suas non ut imperator exercitum ueteranum uictoremque maximis rebus gestis, sed ut lanista tirones gladiatores condocere; quot pedes se reciperent ab hoste et quem ad modum obuersi aduersariis et in quantulo spatio resisterent, modo procurrerent modo recederent comminarenturque impetum, ac prope quo loco et quem ad modum tela mitterent, praecipere. Mirifice enim hostium leuis armatura anxium exercitum nostrum atque sollicitum habebat, quia et equites deterrebat proelium inire propter equorum interitum, quod eos iaculis interficiebat, et legionarium militem defatigabat propter uelocitatem: grauis enim armaturae miles simul atque ab eis insectatus constiterat in eosque impetum fecerat, illi ueloci cursu periculum facile uitabant.

72. Quibus ex rebus Caesar uehementer commouebatur quod, quotienscumque proelium erat commissum, equitatu suo sine legionario milite hostium equitatu leuique armaturae eorum nullo modo par esse poterat. Sollicitabatur autem his rebus, quod nondum legiones hostium cognouerat, et quonam modo sustinere se posset ab eorum equitatu leuique armatura, quae erat mirifica, si legiones quoque accessissent. Accedebat etiam haec causa, quod elephantorum magnitudo multitudoque animos militum detinebat in terrore. Cui uni rei tamen inuenerat remedium: namque elephantos ex Italia transportari iusserat, quo et miles noster speciemque et uirtutem bestiae cognosceret et cui parti corporis eius telum facile adigi posset, ornatusque ac loricatus cum esset elephas, quae pars corporis eius sine tegmine nuda relinqueretur, ut eo tela coicerentur; praeterea ut iumenta bestiarum odorem, stidorem, speciem consuetudine capta non reformidarent. Quibus ex rebus largiter erat consecutus: nam et milites bestias manibus pertrectabant earumque tarditatem cognoscebant, equitesque in eos pila praepilata coiciebant, atque in consuetudinem equos patientia bestiarum adduxerat.

73. Ob has causas quas supra commemorauimus sollicitabatur Caesar tardiorque et consideratior erat factus et ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Neque mirum: copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis campestribus et contra Gallos, homines apertos minimeque insidiosos, qui per uirtutem, non per dolum dimicare consuerunt; tum autem erat ei laborandum ut consuefaceret milites hostium dolos, insidias, artificia cognoscere et quid sequi, quid uitare conueniret. Itaque, quo haec celerius conciperent, dabat operam ut legiones non in uno loco contineret sed per causam frumentandi huc atque illuc

rapsaret, ideo quod hostium copias ab se suoque uestigio non dicessuras existimabat. Atque post diem tertium productas accuratius suas copias sicut instruxerat, propter hostium castra praetergressus aequo loco inuitat ad dimicandum. Postquam eos abhorrere uidet, reducit sub uesperum legiones in castra.

Bellum Africanum 79–86

79. Postquam nulla condicione cogere aduersarios poterat ut in aequum locum descenderent legionumque periculum facerent, neque ipse propius hostem castra ponere propter aquae penuriam se posse animaduertebat, aduersarios non uirtute eorum confidere sed aquarum inopia fretos desplicere se intellexit, II. Non. Apr. tertia uigilia egressus ab Aggar XVI milia nocte progressus ad Thapsum, ubi Vergilius cum grandi praesidio praerat, castra ponit oppidumque eo die circummunire coepit locaque idonea opportunaque complura praesidiis occupare, hostes ne intrare ad se ac loca interiora capere possent. Scipio interim cognitis Caesaris consiliis ad necessitatem adductus dimicandi, ne per summum dedecus fidissimos suis rebus Thapsitanos et Vergilium amitteret, confestim Caesarem per superiora loca consecutus milia passuum VIII a Thapso binis castris consedit.

80. Erat stagnum salinarum, inter quod et mare angustiae quaedam non amplius mille et D passus intererant; quas Scipio intrare et Thapsitanis auxilium ferre conabatur. Quod futurum Caesarem non fefellerat. Namque pridie in eo loco castello munito ibique III ... praesidio relicto ipse cum reliquis copiis lunatis castris Thapsum operibus circummuniuit. Scipio interim exclusus ab incepto itinere supra stagnum postero die et nocte confecto caelo albente non longe a castris praesidioque quod supra commemorauimus MD passibus ad mare uersus consedit et castra munire coepit. Quod postquam Caesari nuntiatum est, milite ab opere deducto, castris praesidio Asprenate pro consule cum legionibus duabus relicto ipse cum expedita copia in eum locum citatim contendit, classisque parte ad Thapsum relicta reliquas nauis iubet post hostium tergum quam maxime ad litus appelli signumque suum obseruare, quo signo dato subito clamore facto ex improviso hostibus auersis incuterent terrorem, ut perturbati ac perterriti respicere post terga cogerentur.

81. Quo postquam Caesar peruenit et animaduertit aciem pro uallo Scipionis [contra] elephantis dextro sinistroque cornu collocatis, et nihilo minus partem militum castra non ignauiter munire, ipse acie triplici collocata, legione X. †secundaque dextro cornu, VIII. et VIII. sinistro oppositis, quinque legiones† in quarta acie ad ipsa cornua quinque cohortibus contra bestias collocates, sagittariis, funditoribus in utrisque cornibus dispositis leuique armatura inter equites interiecta, ipse pedibus circum milites concursans uirtutesque ueteranorum proeliaque superiora commemorans blandique appellans animos eorum

excitabat. Tirones autem qui numquam in acie dimicassent hortabatur ut ueteranorum uirtutem aemularentur eorumque famam, locum, nomen uictoria parta cuperent possidere.

82. Itaque in circumeundo exercitu animaduertit hostis circa uallum trepidare atque ultro citroque puidos concursare et modo se intra portas recipere, modo inconstanter immoderateque prodire. Cum idem a pluribus animaduerti coeptum esset, subito legati euocatique obsecrare Caesarem ne dubitaret signum dare: uictoriam sibi propriam a dis immortalibus portendi. Dubitante Caesare atque eorum studio cupiditatieque resistente sibique eruptione pugnari non placere clamitante, etiam atque etiam aciem sustentante, subito dextro cornu iniussu Caesaris tubicen a militibus coactus canere coepit. Quo facto ab uniuersis cohortibus signa in hostem coepere inferri, cum centuriones pectore aduerso resisterent uique continerent milites, ne iniussu imperatoris concurrerent, nec quicquam proficerent.

83. Quod postquam Caesar intellexit incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo Felicitatis dato equo admisso in hostem contra principes ire contendit. A dextro interim cornu funditores sagittariique concita tela in elephantos frequentes iniciunt. Quo facto bestiae stridore fundarum, lapidum plumbique †itata† [iactu *Kuebler*] perterritae sese conuertere et suos post se frequentis stipatosque proterere et in portas ualli semifactas ruere contendunt. Item Mauri equites, qui in eodem cornu elephantis erant, praesidio deserti principes fugiunt. Ita celeriter bestiis circumitis legiones uallo hostium sunt potitae, et paucis acriter repugnantibus interfectisque reliqui concitati in castra unde pridie erant egressi confugiunt.

84. Non uidetur esse praetermittendum de uirtute militis ueterani V legionis. Nam cum in sinistro cornu elephas uulnere ictus et dolore concitatus in lixam inermem impetum fecisset eumque sub pede subditum dein genu innixus pondere suo proboscide erecta uibrantique stridore maximo premeret atque enecaret, miles hic non potuit pati quin se armatus bestiae offerret. Quem postquam elephas ad se telo infesto uenire animaduertit, relicto cadauere militem proboscide circumdat atque in sublime extollit. Armatus, qui in eiusmodi periculo constanter agendum sibi uideret, gladio proboscidem qua erat circumdatus caedere quantum uiribus poterat non destitit. Quo dolore adductus elephas milite abiecto maximo cum stridore cursuque conuersus ad reliquas bestias se recepit.

85. Interim Thapso qui erant praesidio ex oppido eruptionem porta maritima faciunt et, siue ut suis subsidio occurrerent, siue ut oppido deserto fuga salutem sibi parerent, egrediuntur atque ita per mare umbilici fine ingressi terram petebant. Qui a seruitiis puerisque qui in castris errant lapidibus pilisque prohibiti terram attingere rursus se in oppidum receperunt. Interim Scipionis copiis

prostratis passimque toto campo fugientibus confestim Caesaris legiones consequi spatiumque se non dare colligendi. Qui postquam ad ea castra quae petebant perfugerunt, ut relictis castris rursus sese defenderent ducemque aliquem requirerent, quem respicerent, cuius auctoritate imperioque rem gererent:—qui postquam animaduenterunt neminem ibi esse praesidio, protinus armis abiectis in regia castra fugere contendunt. Quo postquam peruenerunt, ea quoque ab Iulianis teneri uident. Desperata salute in quodam colle consistunt atque armis demissis salutationem more militari faciunt. Quibus miseris ea res paruo praesidio fuit. Namque milites ueterani ira et dolore incensi non modo ut parcerent hosti non poterant adduci sed etiam ex suo exercitu inlustris urbanos, quos auctores appellabant, compluris aut uulnerarunt aut interfecerunt; in quo numero fuit Tullius Rufus quaestorius, qui pilo traiectus consulto a milite interiit; item Pompeius Rufus bracchium gladio percussus, nisi celeriter ad Caesarem accurrisset, interfectus esset. Quo facto complures equites Romani senatoresque perterriti ex proelio se receperunt, ne a militibus, qui ex tanta uictoria licentiam sibi assumpsissent immoderate peccandi impunitatis spe propter maximas res gestas, ipsi quoque interficerentur. Itaque ei omnes Scipionis milites cum fidem Caesaris implorarent, inspectante ipso Caesare et a militibus deprecante eis uti parcerent, ad unum sunt interfecti.

86. Caesar trinis castris potitus occisisque hostium L milibus fugatisque compluribus se recepit L militibus amissis, paucis sauciis in castra ac statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit elephantosque LXIII ornatos armatosque cum turribus ornamentisque capit, captos ante oppidum instructos constituit, id hoc consilio, si posset Vergilius quique cum eo obsidebantur rei male gestae suorum indicio a pertinacia deduci. Deinde ipse Vergilium appellauit inuitauitque ad deditionem suamque lenitatem et clementiam commemorauit. Quem postquam animaduertit responsum sibi non dare, ab oppido discessit. Postero die diuina re facta contione aduocata in conspectu oppidanorum milites collaudat totumque exercitum ueteranorum donauit, praemia fortissimo cuique ac bene merenti pro suggestu tribuit, ac statim inde digressus Rebilo pro consule cum III ad Thapsum legionibus et Cn. Domitio cum duabus Thysdrae, ubi Considius praeerat, ad obsidendum relicitis, M. Messalla Uticam ante praemisso cum equitatu ipse eodem iter facere contendit.

Extracts 7, 8, and 9

In 1255 Louis IX of France gave Henry III of England a special present. It was a large present. The gift was recorded by the chronicler Matthew Paris (c. 1200–59) in his major historical work, the *Chronica Majora*, which he composed from 1235 onwards. Paris made a famous illustration of the present complete with captions. There are also references to Louis' gift in government documents, including the entries from the Gascon Rolls and Pipe Rolls included here.

Matthew Paris, *Chronica Majora* V f. 171 (Rolls edn pp. 488–9) (sub 1255)

p. 488 (f. 171) Eodem anno a festo sancti Valentini usque in mensem sequentem, ventus vehemens cum pluviarum infusionibus diebus ac noctibus, non tantum in terris, immo etiam in mari, inauditam excitavit perturbationem. Ejecitque mare in episcopatu Norwicensi eodem tempore quandam beluam marinam monstruosam nimis, turbinibus fluctuum conglomeratorum exagitata, et, ut creditur, pro vexatione interfectam. Quae multo major balaena extitit, veruntamen non balaena censebatur. Monstrum illud abdomine suo totam patriam vicinam ditavit affluenter.

p. 489 Tempore quoque sub eodem, missus est in Angliam quidam elephas, quem dominus rex Franciae pro magno munere dedit domino regi Anglorum. Nec credimus quod unquam aliquis elephas visus est in Anglia, immo nec etiam in partibus cisalpinis, praeter illum; unde confluebant populi at tantae spectaculum novitatis. Regina insuper Francorum Margareta dedit unum pavonem, scilicet unum lavachrum mirabile, regi Angliae, quod similitudinem pavonis in forma ostendebat. Et erat quidam lapis pretiosus, qui dicitur vulgariter perla. Et habuit additamenta artificiose nimis corpori insita ex auro et argento, et sapphiris, sicut verus pavo, orbiculatur; et illud jocale ornabatur, et erat novum et mirabile in oculis omnium intuentium.

Gascon Rolls entry

3529. De elefante Regis – Rex misit ad Johannem Gouche et aliis custodes elephantis Regis Petrum de Gannoco, clericum, tanquam superiorem custodem ejusdem elephantis, qui inveniet predictis Johanni et sociis suis necessaria sua usque in Angliam. Et mandatum est eisdem quod eidem Petro sint intendentes et respondententes.

Pipe Roll entries (from sections showing sheriffs' expenditure)

[Kent] Et in passagio elephantis R. Johannis de Grang' et Stephani de Porta nuntiorum R. Francie et Ricardi le Rus clerici R. cum thesauro R. ix li. vj s. per idem breve. (E 372/99 rot. 17)

[London] Et in quadam domo longitudinis xl pedum et latitudinis xx pedum
facienda apud Turrim London' ad opus elephantis R. xxij li. xx d. per breve R.
(E 372/99 rot. 14)

[London] Et in sustentatione elephantis R. apud Turrim Lond' et eius custodis a
festo S. Luce hoc anno usque ad festum S. Michaelis xxiiij li. xiiij s. iij d. ob.
per breve R. (E 372/100 rot. 3)

[London] Et in sustentatione elephantis Reg' et custodis sui a festo sancti
Michaelis hoc anno usque ad festum sancti Valentini antequam idem elephans
moreretur xvj li. xiiij s. et j d. per breve R. (E 372/101 rot 13)